

**De morbo, quem Radesyge nominant : dissertatio inauguralis pathologica
... / auctor Ioannes Belart.**

Contributors

Belart, Johann.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Fratrum Unger, 1830.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d4k6v7sp>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

(13) — 14

DE
**MORBO, QUEM RADE-
SYGE NOMINANT.**

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
AUCTORITATE ET CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XVII M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXX
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST
AUCTOR
IOANNES BELART,
HELVETO-BRUGENSIS.

OPPONENTIBUS:
M. KALISCH, MED. ET CHIR. DR.
CHR. GUMMICH, MED. ET CHIR. DR.
THEOD. LOH, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI.
TYPIS FRATRUM UNGER.

4

DE
MORBO, QUAM RALDE
SYGE NOMINANT.

DISSERTATIO

IN ADIGIBALIS RATHOLOGICA

ACCOMMODATA ET CONSECUTA

CHARTERIS MEDICINAE ORDINIS

UNIVERSITATIS LUTETIENSIS MEDICINAE CENSURAE

ET SEQUE

Digitized by the Internet Archive
in 2016

DIE XVII M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXX

D. I. G.

WILHELMUS BERNHARDUS

ALTONA

IOHANNES BELLART

RECTOR-RECTOR

OPPOSITIO

DR. KALLICH, MED. ET CHIR. DR.

CHIR. GUERICH, MED. ET CHIR. DR.

THEOD. LON, MED. ET CHIR. DR.

VIRO CELEBERRIMO

ANTONIO ABEGG

**INSTITUTI MEDICO-CHIRURGICI TURICENSIS PROFESSORI,
MEDICO PRACTICO FELICISSIMO, PRAECEPTORI SUO AD
CINERES COLENDO**

HAS
LITTERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Si quis mihi opprobrium facturus est, quod in dissertatione mea morbum susceperim tractare, cujus patria praecipue Suecia et Norvegia est, et quem nunquam per longius tempus me observasse fateri debeo, sed tantum iter per illas regiones faciens obiter observavi; id me excuset, quod partim hic morbus, in novissimis praecipue decenniis etiam ad Germaniam nostram transmigravit, etsi valde modificatus, partim quod multae modificationes syphilidis et nonnullorum aliorum exanthematum apud nos occurrunt, quae non solum in decursu cum lepra norvegica conveniunt, sed etiam in multis symptomatibus et in curatione illi similes sunt. Cum praeterea huic morbo diutius jam singularem dede- rim operam, Tu Lector B. mihi indulgeas, si sequen- tibus ausus fuero, morbum quem *Radesyge* nomi- nant, cum lepra, scorbuto et syphilide comparare, ita tamen ut primo plurima impendam verba, et hunc pro principali meo argumento sumam.

Synonyma.

Morbus, qui sub nomine *Radesyge* occurrit, partim de variis regionibus, ubi regnat, partim de principalibus ejus phaenomenis a medicis et medicinae imperitis varia accepit nomina. Holst ¹⁾ in opere suo de hoc morbo fusius et sagaciter originem hujus nominis indicat. *Syge* enim Danica vox est, quae morbum significat; vocis *Rade* contra origo et significatio non plane patent. Vougth et Ahlander quidem dicunt, hanc vocem ex vetere lingua Danica depromptam esse et significare: atrox, foedus, malignus, turpis; Munk quoque contendit, vocem *Rade* in occidentali parte instituti Christianstadii usurpari, Holst contra vocem *Rade* cum germanica *Raude* (*raudis* et *rudis*) et cum Scandinavica *Rue*, *Rufva* et *Roe* comparat et dicit, eam crustam inaequalem, duram, scabram et densam significare, qua sublata, cutis cruenta, rubra appareat. Holst etiam voces *Raa*, *Raad* et *Raas* ut propinquas considerat, quarum priores ad cutem piscium, et posterior ad squamas significandas adhibetur, ita ut vox *Radesyge* in morbum, squamosum verti possit.

Inter omnia hujus morbi nomina *Radesyge* et *Spedalsked* (*Spetalska*) usitatissima sunt. Haec ab aliis pro synonymis habentur, alii vero utrumque

¹⁾ Morbus, quem *Radesyge* vocant, quinam sit, quaque ratione e Scandinavia tollendus?

morbum diversum significare putant. Arbo dicit, discrimen esse inter utrumque, eos vero sibi simillimos esse, easdem habere causas, eandemque requirere curationem. Henseler utrumque pro eodem habet morbo et Pfefferkorn alterum pro gradu altiore prioris habet. Alia hujus morbi nomina sunt Saltflöd (Salzfluss), Flödsygen, Spild, Rosen, Röta, Klubba et falso etiam morbus gallicus. Slemsygen (morbus malignus), Stygsygen (morbus foetidus) nominatur ob vultum foedum aegrotorum et ob foetorem, quem circum se repandunt.

Saltflöd (Salzfluss) plerumque in Suecia noster morbus nominatur, quod nomen a secreto hujus exanthematis derivatum esse videtur. Spild synonymum cum Spedalsked et tantum pronuntiatione diversum; significat nempe morbum, quo aegrotus jus et necessitatem impetrat, in nosocomium suscipi et a reliquis hominibus disjungi. Röta et Rosen hic morbus ob ruborem et tumorem cutis nominatur. Flödsygen denique ob dolores cum ipso conjunctos.

Vox islandica Lyktraa morbum significat, quo aegroti odorem et faciem cadaveris accipiunt. Vox Sybbens morbum Scotiae significat, qui cum Radesyge magnam similitudinem habere dicitur.

Hic morbus Radesyge endemice occurrit in regionibus septentrionalibus, praecipue in Norvegia in oris maritimis, rarius in regionibus alterioribus et in meridionali parte Norvegiae, saepius autem in

Suecia et praecipue in Alpibus Scandinavicis, etiam in Islandia et insulis Pharoëis, Groenlandia et Laponia.

Symptomatologia.

Si morbos universim secundum tempus decursus in acutos et chronicos dividimus: Radesyge ad morbos chronicos pertinet. Initium morbi in singulis casibus satis diversum est. Hecker, Ahlander et Vougt dicunt, morbum Radesyge sine omnibus prodromis febrilibus statim ut exanthema apparere. Mangor, Munk, Holst, Pfefferkorn aliique contendunt, hunc morbum plerumque tempestate humida frigida et nebulosa cum febricula catarrhali incipere, quae decursum febris remittentis observet, pulsum tardum monstret. Si totum decursum morbi complectimur, prodromi febriles essentialiter ad morbum pertinere videntur, quamvis non semper clare cluceant.

Morbus plerumque cum symptomatibus catarrhalibus incipit, ad haec gravedo et dolores artuum, uti in affectionibus rheumaticis accedunt, defectus appetentiae ciborum, lassitudo, dedolatio, cephalalgia, vertigo, animi deliquia, coryza, oculorum pressio, lacrimarum fluxus, deglutitio difficilis et membranae mucosae narium secretio suppressa.

Febris mox gravior fit, vespertino tempore exacerbat et dolor gravis obtusus et premens in sinibus frontalibus persentitur, quocum morbus ipse incipit.

Stadium primum. Affectio membranarum mucosarum clarius se manifestat, collum, os et cavitas narium laborant, tumor nasi ab interiore parte extorsum oritur, nasus rubescit et obstruitur; respiratio, inspiratio praecipue difficilis redditur, humor luteus, aquosus, acer, nonnunquam foetiduse nari- bus stillat, qui mox excoriationes cutis producit.

Pfefferkorn spiritum quoque foetidum esse dicit. Affectiones oris et colli plura monstrant symptomata: ruborem intensum faucium, qui tamen non tam intensus et circumscriptus est, ut in syphilide, a quo tamen in multis casibus vix discernendus est; variatur quoque hic rubor secundum decursum, ita ut mox magis albus, mox laete ruber, mox squalidus, mox obscure ruber, mox denique coccineus sit.

In ulteriore decursu ad haec symptomata accedunt labores pectoris, rauco, dolores pectoris graves, tussis dolorifica, dyspnoea, anxietas, ipsa pneumonia.

Serius, si rubor inflammatorius faucium intensius tingitur, tonsillae intumescunt, uvula inflammatur et oblongatur, deglutitio impeditur, saepe salivatio oritur. Hanc ultimam Hünefeld pro inconstante declarat, eamque pro complicatione nostri morbi cum hydrargyrosi habet. Pulsus semper paululo frequentior est, sed satis parvus et mollis. Sanguis hoc tempore e vena missus, membranam ceruleam praebere et valde tenax esse dicitur.

Stadium secundum. Inde ab hoc tempore om-

nia modo dicta phaenomena vehementia crescunt: dyspnoea et raucedo nonnunquam adeo augentur, ut suffocatio minetur, facies plerumque paululum tumescit, in colore obscuro-rubra, in frigore ceruleo-rubra; hic rubor mutatur in habitum cachecticum aegroti, facies pallida et flava fit simulque tumescit, dolores in sinibus frontalibus vehementiores redduntur. In toto cavo oris et in palato maculae obscuro rubrae et cuprinae oriuntur, quae citius serius ad pustulas miliariformes excoluntur et, si rumpuntur, in ulcera transeunt. Magnitudo harum macularum varia est, a capite acus usque ad pisum parvum. Ulcera characterem valde malignum prae se ferunt, cito se extendunt et partes corrodunt, nonnunquam etiam linguam corripunt et mox palatum durum dirimere incipiunt.

In initio dolores concomitantes mitiores et pungentes sunt, serius autem graviores fiunt et deglutionem impediunt; raucedo valde increscit, totum caput obtusum est, susurrus aurium oritur et alia symptomata similia.

Sensibilitas extremitatum secundum Pfefferkorn valde imminuitur, tumores oedematodes pedum oriuntur, qui satis duri tanguntur et frigidi, calefacti autem pruritus gravem cutis gignunt. In foeminis hoc morbo laborantibus menstruatio fit irregularis et quidem aut dolorifica, aut imminuta, aut brevissimum tantum tempus fluens, aut denique plane suppressa.

Memoratu dignum est, in hoc stadio morbi appe-

titum ciborum et somnum plerumque a norma non secedere.

Status praesens hujus morbi in Norvegia catarrhus nominatur, dum character febrilis praevalet, scorbutus autem dum decursus magis chronicus, apparet, quae res tamen praecipue a constitutione et vivendi ratione aegrotantium dependet.

Stadium tertium. Si morbus in progressu suo non interrumpitur, nunc characterem exanthematis chronici assumit. Oriuntur nempe rubrae, albae, bruneae, aut virides maculae in cute, plerumque in cruribus, brachiis, pectore, dorso, in cavis axillaribus aut in regione inguinali; hae maculae non dolent, variae sunt magnitudinis et formae, centrum earum impressum apparet, margines vero supra cutem elevati. Sensim sensimque mox lentius, mox citius hae maculae in pustulas parvas mobiles mutantur, quae sine colore et dolore sunt, magnitudinem lentis vel pisi monstrant, catervatim in margine circumscripto paululum rubescere apparent, vel etiam inter se confluunt, ita ut exanthema inaequale, plures strias formans, observetur.

Hae pustulae mox colorem mutant, qui primum pallidus, deinde paululum rubescens, denique obscure et ceruleo-ruber fit, in quo statu, praecipue si confluunt varicibus simillimae evadunt. Exanthema nunc magis excolitur et tuberculosum, scabiosum aut herpeticum apparet, et plerumque in ambitu articulorum, cruribus, lumbis, humeris, brachiis,

nonnunquam etiam, etsi serius, in genitalibus, attamen etiam in omnibus reliquis corporis partibus hoc exanthema erumpere potest.

Sub faventibus vero circumstantiis hoc exanthema aut sponte, aut apta curatione dissolvi potest; rubor tum sensim sensimque imminuitur, noduli planiores fiunt, et plerumque indurescunt, quae durities saepe sine omni periculo causticis mitioribus removeri potest. Rarissime autem hic exitus morbi contingit, ad quem producendum confluxus permultarum rerum faventium requiritur. In longe plurimis casibus enim exanthema in suppurationem transit, pustulae majores fiunt, fluctuationes monstrant, primum in centro, deinde in toto circuitu humore replentur. Hic humor initio tenuis et lymphaticus, mox condensatur et denique ut ichor luteus, corrodens exstillat; crustae tunc parvae, albae, flavae remanent, quae initio decidunt, deinde vero denuo oriuntur, inter se conjunguntur et majores crustas griseas formant. His crustis sublatis, cutis supposita, inflammata et rubra apparet, epidermide plane orbata, simul humor satis limpidus secernitur, isque locus nunc valde dolet. Hoc secretum vero magis magisque consistentia augetur, donec tandem denuo crustae formantur, quae majores et crassiores sunt prioribus; hae profundae in cute apparent, magnam monstrant crassitudinem et colorem squalide bruneum vel griseum habent et pus crassum secernunt, denique in ulcera parva, rotunda transeunt, quae in circuli

forma se extendunt et denique ad unum magnum ulcus corrodens confluunt. Haec ulcera magis magisque in profundum penetrant, margines inversos inflammatos monstrant, et ichorem tenuem nigro-flavum corrodentem secernunt. Sanata haec ulcera cicatrices albidas, laeves, longis striis interruptas relinquunt.

Exanthema modo descriptum secundum Hünefeld interdum in decursu suo characterem hydrargyroseos induit, praecipue si incaute mercurio et praecipue fumigationibus ex cinnabari tam saepe usitatis, curatur. Tum, inquit, tota superficies inflammatur, laete fit rubra et valde dolorifica; tubercula exanthematis denuo eleuantur, ita ut forma herpeti circinato similis oriatur. Haec tubercula mox in ulcera rotunda mutantur, margines accuminatos, inaequales, inflammatos habent et humorem tenuem ichorosum secernunt. Universim decursus exanthematis nostri is est, qualis modo descriptus est, interdum autem variae observantur ejus modificationes.

Nonnunquam scilicet exanthema humidum vel siccum oritur, quod non ad pustulas et vesiculas elevatur, sed materia satis consistente repletur, cum pruritu gravissimo conjungitur, ita ut aegroti noctu quiete careant. Hoc exanthema supra totam corporis superficiem extensum esse potest, plerumque autem ab extremitatibus incipit et inde ad reliquas partes transit; ichor semper acrior fit et mox totum corpus uti in scabie his pustulis tectum est.

Fricatione, ad quam aegroti plerumque pruritu intollerabili refugiunt, exanthema mox in ulcera mutatur, et ungues pedum denique hoc malo corripuntur. Arbo pluries se tineam unguium orientem observasse dicit.

Mangor aliam modificationem nostri exanthematis in hoc stadio depingit: in hoc scilicet parvae pustulae sub cute oriuntur, initio plerumque in facie, naso, oculis, fronte, genis, labiis et palato; serius ad brachia et crura migrant, et denique in omnibus reliquis partibus apparent, secundum Callisen in ipsis genitalibus; rarissime vero hoc exanthema manus afficit. Harum pustularum color obscuro-ruber est, rubori syphilitico similis, non vero aequè circumscriptus. In initio minimae sunt et rotundae, sensim sensimque vero ad magnitudinem nucis avellanae crescunt. Hempel eas magnitudinis ovi gallinacei se vidisse contendit; cum basi musculis suppositis adhaerent, corpus earum paululum ad omnia latera moveri potest, et forma earum modo rotunda, modo plana est. Cutis intra haec tubercula plerumque disrumpitur et ex his rupturis sanguis tenuis effluit, qui serius in crustas mutatur.

Partes affectae valde deformes fiunt, facies obscuro-brunea, tumida, et scabra et dura fit, qui status tum ad habitum, tum ad tactum magnam similitudinem cum scirrho praebet.

Hi noduli etiam denuo inflammari et in suppurationem transire possunt, ichor effluens valde cor-

rodens et foetidus est, moxque totam superficiem in ulcera foedissima mutat, quae ulceribus scorbuticis haud dissimilia sunt, labia, mentum et nasum corripunt, et ossa ipsa, si malum non interrumpitur.

Horum tubercularum loco saepe etiam vesiculae adsunt, quae sero replentur, rumpuntur, et tum eundem monstrant decursum ac tubercula disrupta.

Si morbus usque ad gradum modo descriptum excultus est, omnia dicta symptomata nunc continuo crescunt, et dolores artuum, dyspnoea, et rauco ad summum augentur. In illis aegrotis, in quibus collum et pectus graviter laborant, ardor vehemens oritur in ore et faucibus, sitis inexplebilis est, et postremo salivatio. Nasus intumescit et rubescit, internaque ejus superficies secundum Tode crustis obstruitur, respiratio magis magisque impeditior fit, ita ut saepe periculum suffocationis oriatur; secundum Pfefferkorn spiritus ipse foetidissimus fit, sensim sensimque ulcera albida vel flava et initio plana in naso, collo, palato, etiam in externa superficie labiorum et in lingua ipsa oriuntur. Haec ulcera facile pro mercurialibus haberi possunt, praecipue quum salivatio cum iis conjuncta sit, ceterum tum singula, tum catervatim apparent.

Secundum Arbo interdum diu benigna sunt et curatione apta ab ulteriore progressu prohiberi possunt, quod vero si non contingit, circum se corrodunt, et ossa ipsa afficiunt. In hoc statu vox aegroti mutatur, cava scilicet et obtusa fit, aegroti

per nasum loquuntur; capilli praecipue ad frontem et supercilia elabuntur.

Affectio ossium se manifestat dolore ossium magis minusve vehemente et fixo, qui plerumque mediam partem ossium superficialium afficit et in calore stragulis effecto valde augetur. Post brevius vel longius tempus plerumque tophi et exostoses in tibia, cubito et antibrachio et fronte oriuntur; haec nonnunquam quidem dissolvi possunt, quod vero si non fit, interdum incredibilem assequuntur magnitudinem, disrumpuntur et in ulcera profunda impura et fungosa transeunt, quae ichorem griseum, tenuem et foetidum secernunt. Ubi caries intravit, dolores nocturni plerumque imminuuntur, aut plane cessant.

In hoc statu morbi quaevis macula, quaevis contusio, quivis abscessus, qualicunque causa externa, lapsu, ictu, pressione, effectus, pernio in extremitatibus, omnis denique inflammatio erysipelatosae, ubi disrumpuntur, characterem et naturam ulceris Radesyge prae se ferunt. Apparere igitur possunt in diversissimis formis et diversissimis locis, mox singula, mox in magna copia conjuncta. Periculosissima sunt in vicinitate articulorum, aut in his ipsis, corruptio enim articuli plerumque citissime progreditur. Maximam ad partem vero in partibus musculosis apparent, in cruribus, brachiis et facie, serius in toto reliquo corpore, rarissime et postremo

in genitalibus, nunquam autem secundum Arbo in capillatis capitis partibus.

In initio, modo orta, haec ulcera externis causis effecta ab illis morbo ipso progenitis se discernunt. Monstrant enim fundum laete rubrum, non maculosum, non cruentum, valde autem impurum et compactum, margines porro ceruleo-rubros, inaequales, duros, callosos et rubore erysielatode circumscribuntur.

In initio humorem magis serosum et mucosum, deinde vero pus tenue acre, nigro-griseum et graveolens secernunt. In individuis robustis sine omnibus fere doloribus esse solent, in debilioribus autem et sensibilibus aegrotis praesertim prava adveniente curatione, dolores mox intrant et gravissimi fiunt.

Quo plus puris vel ichoris ulcera aperta secernunt, eo magis dolores imminuuntur, praesertim si ulcera saepius purificantur et obligantur. Symptomata dyspnoeae, pruritus, dolorum artuum et cephalalgiae decrescunt, et morbus in hoc puncto, sine ulteriore progressu retineri potest, si novae causae occasionales nocivae non accedunt.

Sin vero secretio in superficie ulcerum immittitur et haec sensim sensimque exsiccatur, omnia symptomata crescunt et ad summum augentur. Squamae in ulceribus interdum in cartilagineas et substantiam corneam mutantur, in quo casu decursus morbi valde chronicus est et in apta curatione per

multos annos durare potest. Aegroti ceterum satis validi videntur, negotiis solitiis operam dant, bono appetitu et somno gaudent, et reliquae quoque functiones organismi bene procedunt. Si haec symptomata in mitiore adsunt gradu, haud raro hiemis tempore plane evanescunt, aestate vero denuo apparent.

Si hic morbus continuo perdurat, totus habitus aegrotorum cachecticus fit, aut in calore color eorum obscuro-ruber, in frigore nigroceruleus est. Pfefferkorn qualitatem sanguinis in hoc stadio missi sequenti modo depingit: sanguis est, inquit, crusta crassa, tenaci mucosa tectus, quae modo grisea, modo flavo-pallida vel viridis est, et tam tenax, ut vix perscindi possit; coagulum ejus nigrum est et laxum et graveolet, serum denique lacti simile est.

Stadium quartum. Si morbus, usque ad hunc gradum proventus, non aptissime curatur, et praeterea non omnes res ad prohibendum ulteriorem symptomatum progressum favent, haec decursum tantopere velocem assumunt, ut auxilium vix ferri possit.

Omnes se- et excretiones normales summo in gradu perturbantur, evacuationes intrans colliquativae, diarrhoeae, sudores, haemorrhagiae; tumor singularum partium, praecipue autem faciei valde augetur, crustae ulcerum in facie crassae, durae, corneae fiunt, ulcera fluentia sanguinem multum demittunt uti in scorbuto, foetidissime olent, et magnae

partes musculorum discernuntur; vox valde rauca fit, vix audienda, aut plane obtusa, articuli immobiles fiunt, aegroti fere semper in statu soporoso jacent, sitis vehementissima, vix explebilis, febris continua et vehemens. Lingua et cavitas oris muco et saliva impleta est, et haec tenax et graveolens; gingiva fungosa, cruento-rubra apparet et mucum tenacem secernit, dentes nigrescentes in singulis partibus aequae ac capilli elabuntur, ossa magis magisque affecta necrotica fiunt; nasus imprimitur et plane perditur. Aegrotus alimenta concoquere nequit. Pulmones valde laborant, quod tussi vehemente et spiritu foetido probatur. Excretio alvi, etiam si nulla diarrhoea adest, grisea et foetida est, urina est erassa et sedimentum lacteum deponit.

Insensibilitas in impressiones externas magis magisque crescit, omnes sensus, auditu excepto, laborant; necrosis ossium cito progreditur, totaque ossa devadunt. Exitus morbi sunt hydrops et phthisis; aegrotus denique sine omnibus fere doloribus moritur, plerumque autumnali aut vernali tempore, quo etiam hic morbus semper exacerbat.

Si morbi, quem Radesyge nominamus, decursum in hominibus variae constitutionis, variae aetatis, variae vivendi rationis, varii sexus, in vario denique climate degentibus consideramus; in quovis fere individuo nobis varietas in morbi evolutione et progressu se monstrat a ratione modo descripta, quamvis haec certe usitatissima sit.

Rarissime vero tota symptomatum series, quam in descriptione morbi decursus memoravimus, conjuncta observanda venit, quum multum intersit, an et quales occasionales causae ad morbum producendum contulerint, cujusmodique individualis sit dispositio.

Secundum Pfefferkorn ventus frigidus, asper praecipue nodos in facie, frigus humidum colli pectorisque affectionem procreat, laesiones externae uti perniones et inflammationes erysipelatosae acutae ulceribus originem praebent. Apud eos, qui pulvere sternutatorio uti solent, narium praesertim membrana mucosa laborat; infectione denique cutis praecipue afficitur.

Aetas morbum magnopere modificat, nec minus aegroti constitutio; utrum robustus an debilis sit, num jam antea ad pectoris affectionem proclivis fuerit, num habitu sit phthisico praeditus, num pauper sit, ideoque sibi indulgere nequeat, multis rebus necessariis carere debeat, num hoc tempore epidemia grassetur; quibusnam alimentis aegrotus fruatur, an fortasse piscatu vivat, num hic morbus cum aliis acutis vel chronicis complicatus sit. In mulieribus porro, jam puberbatem nactis, an menstruatio jam adsit, in illis provectionis aetatis, an menses omni ratione regulares sint, in senioribus denique, an menses jam cessaverint. Haud minoris momenti graviditas et lactatio est.

Maximum vero momentum habendum est, utrum

morbus statim ab initio, an demum in provectiore jam gradu, utrum porro apte, an inepte curatus sit.

Omnes hae res morbum nostrum multifarie modificant, ita ut in multis lentissime, in aliis rapidissime decurrere, imo etiam citissime necare possit.

Variae ceterum hujus morbi formae saepe plane inter se disjunctae sunt, interdum vero in uno eodemque individuo conjunctae occurrunt, ita ut alia aliam sine certo ordine sequatur.

Aetiologia.

Si primum terram variasque regiones contem-
plamur, in quibus morbus, de quo loquimur, ende-
mice regnat et principalem habet originem; praeci-
pue ejus causae ad clima, humum, atmosphaerae
conditionem, vitae rationem, incolarum negotia re-
duci posse videntur.

Maxime hoc morbo laborant Scandinavicae pe-
ninsulae incolae, ejusque Alpium; terra haec valde
sterilis est, aqua, lacubus et stagnis abundat, et mare
late eam penetrat. Observarunt, hunc morbum prae-
cipue vernali et autumnali tempore oriri, quo at-
mosphaera humida, crassaque nebula impleta est,
quo continuo pluit, et temperatura celerrime et
saepe mutatur.

Origo et aetas aegritudinis nostrae, secundum
varias nobis relictas traditiones, adhuc non certe
patent; in Norvegia ex anno demum 1720, in Suecia
ex anno 1787 observata est. Ratio ipsa, qua orta

est, utrum illic primo genita, an vero in has etiam terras extrinsecus translata sit, minime constat. Verisimile autem est, morbum Radesyge in variis provinciis vario modo ortum esse, secundum varias causas, quae prius seriusve egerunt, Nonnulli contendunt, hunc morbum praecipue post bellum Pommeranicum 1762 se extendere inciepissee, attamen etiam constat, eum jam antea, etsi non tam frequentem, observatum esse. Scripta vetera, in septentrionalibus regionibus edita, narrant, jam seculo decimo tertio homines morbo Radesyge necatos esse. Verisimillimum videtur, morbum prava incolarum vivendi ratione ortum et in tantum evolutionis gradum provectum esse.

Praecipuae causae sunt immunditia et alimenta corrupta. Orae marinae enim incolae per totum annum piscatui operam dant, et quum omni alio victu careant, in foedissima tempestate, in aperto mari, denudato fere corpore victum quaerere coguntur. Pisces, quos capiunt, nonnullos dies aeri exponunt, donec putrescunt, tum fumigatos, aut sale conditos eos assumunt, et sal ipsud crassum et impurum est.

Animalia reliqua, quorum carne vescuntur, vaccae et sues itidem piscibus putridis, praecipue haringis pascuntur, quibus raro herbae orae maritimae in parva copia immiscentur. Caro eorum valde adiposa est, facile putrescit, rarissime salitur, et plerumque sola sine pane comeditur. Lac vaccarum

mox acescit, et butyrum caseusque corruptam et acrem habent qualitatem. Panis plerumque deest, et si adest, ex avenae farina non fermentata constat, imo e piscium spinis molitis, cum stramine et cortice betulae mixtis.

Potus eorum constat ex aqua litorali, nive liquata, vel e liquore frumenti cum lacte acido mixto, vel e cerevisia corrupta, tenui et acida. Spiritus frumenti depravatus, ejusque vehemens abusus etiam pro causa hujus morbi originem adjuvante, habendus est.

In hoc corrupto victu, in male conditis quoque habitant aedibus. Sunt plerumque parvae, humiles, impurae tabernae, in quibus multi homines simul morantur, edunt, bibunt et dormiunt, plerumque sine stragulis in vestibis humefactis, squalidis. Hae ex lana crassa animalium parantur et adipe piscium illinuntur ad humiditatem detinendam.

His omnibus collectis facile patet, paupertatem et immunditiam ut principales causas ad morbum Radesyge efficiendum conferre.

Quo modo autem hi influxus contagium ipsud morbi efficiant, et in alios transferant, difficillimum explicatu est, vixque a nobis eruendum.

Plurimi medicorum, qui de hoc morbo scripserunt, eumque per longius tempus observaverunt, in eo conveniunt, quod causae modo memoratae, immunditia pravique victus uti principales morbi efficiendi causae considerandae sint, quod vero

solae per se nunquam contagium procreare valeant, dicunt igitur: contagium semper syphiliticum morbo primarie subesse, sive modificatum, sive in principali sua integritate. Haec sententia multis observationibus probatur, in quibus ab initio morbus syphiliticus primarius adfuit, qui sine coïtu in alios homines translatus, denique, verisimile actione causarum prius nominatarum, ut morbus Radesyge excultus se manifestavit, et tum proh dolor! infectione in alia individua transiit.

Alii medici, iique plurimi putant, contagium, quod leprae veterum subsit, eandem habere indolem, quam contagium morbi Radesyge; et equidem huic sententiae assentire eo magis debeo, quum in toto decursu morbi Radesyge cum illo Leprae tantam inveniam similitudinem, ut priorem a posteriore ortam esse censeam, quam rem serius pluribus exponam.

Morbus noster ceterum nulli parcet aetati, nulli sexui; saepissime vero in pubertatis annis excolitur, sexumque femineum saepius, quam virilem afficit; symptomata quoque in priori graviora sunt et maligniora, quam in posteriori et morbus etiam rapidius decurrit. Neonati quoque hunc morbum a matre accipere possunt, immo etiam foetus cum eo nascuntur, si mater, durante graviditate, hoc malo in alteriore gradu correpta erat; eodem modo hic morbus serius demum, immo in polum prolibus erumpere dicitur. —

Morbus Radesyge cum Lepra comparatus.

Priusquam utriusque hujus morbi diversitates proferam, non alienum puto, Lepram ipsam, quippe quae nostris temporibus rarius occurrat, ideoque minus cognita sit, in variis ejus formis breviter describere.

Lepra (morphaea, morbus Herculeus, Elephantiasis, albus, vitiligo, etsi posteriores formae modificationes speciales faciant) ad antiquissimos morbos orbis terrarum pertinet, et quod ad symptomata pertinet, ad malignissimos et periculosissimos.

Si in communem indolem variarum formarum et modificationum hujus morbi animum advertimus, sine dubio pro morbo universali reproductionis cum caractere contagioso habendus est, qui praecipue pseudo-organisationibus cutis variis se manifestat. Lepra ab aliis morbis cutaneis eo differt, quod non primum uti morbus localis apparet, et serius demum in affectionem universalem transit, sed statim ab initio ut cachexia universalis prodit, cujus symptomata illae cutis desorganisationes sunt.

Morbus hic plerumque in calidis tantum terris invenitur, praecipue in oris maritimis, ubi saepe epidemice occurrit. In regionibus, moderato climate gaudentibus, rarissimus tantum et quidem sporadicus est.

Variae leprae modificationes praecipue ad tres formas redigi possunt sequentes:

- 1) Lepra alba seu Hebraeorum, Vitiligo, Alphas, Leuce, Bahereth et Zarah Hebraeorum, Barasch Arabum. Weisser Aussatz.
- 2) Lepra squamosa seu Graecorum, Ichthyosis, Impetigo excorticativa. Schuppiger Aussatz.
- 3) Lepra nodosa, tuberculosa, nigra, Syriaca, Aegyptiaca, Aamericana, Elephantiasis, Leontiasis. Knolliger Aussatz.

Eruptioni harum trium formarum proprii tamen prodromi antecedunt. Lepra alba et nodosa satis similes monstrant prodromos.

Incipiunt enim cum maculis albis vel bruneis, indolentibus et variae magnitudinis, praecipue ad partes genitales, frontem et manus, saepe vero etiam in toto reliquo corpore. Hae maculae in cutem impressae videntur, et colorem capillorum mutant; in initio parvae, mox magnitudinem lentis assequuntur (unde nomen Lentigo et Phacus) et supra magnas plagas cutis se extendunt, quae tum Panni (Maalplätze) nominantur; interdum cum exanthemate, lapsu capillorum, rupturis cutaneis, asperitate et inaequalitate, nonnunquam etiam cum integritate perfecta cutis conjunctae sunt. Sedes earum membrana mucosa, nunquam corium est. Si cutis fricatur, squamae furfuraceae decidunt; in initio his frictionibus maculae rubescunt et sanguinem continent, serius vero humore lymphatico implentur, quae res prognosin jam pejorem reddit. Maculae

albae in lepra alba, bruneae in lepra nodosa plerumque occurrunt.

Leprae squamosae prodromi illis scabiei et herpetis similes sunt. Efflorescentiae cutaneae, quae crustas furfuraceas vel squamosas secernunt, et tum per se, praesertim vero his sublatis, dolorem prurientem et urentem efficiunt. Simul capilli excidere solent, primum quidem in occipite, scinduntur et emoriuntur, et ille status intrat, quem veteres Ophiasin nominabant; capilli scilicet anguiformi modo inter se torquentur et excidunt, epidermisque corroditur. Cutis sensim sensimque brunea fit, doloresque gravissimi mordentes intrant; aegrotus copiosis sudoribus graveolentibus laborat, et glandulae intumescunt. Hic status per diu durare potest, evanescere et redire, donec tandem tota cutis corrumpitur, singulaeque ejus partes, in substantiam corneam mutatae decidunt.

Omnia vero haec symptomata adesse possunt, quin in lepram veram transeant, immo saepissime nunc crisis benigna intrat, qua morbus tollitur.

Phaenomena meliorem prognosin indicantia sunt, si maculae prurire incipiunt, aut in exanthemata corrodentia transeunt; si margines magis circumscripti et obscuriores fiunt; si exanthema humidum fit et magis in latitudinem quam in profundum se extendit; si urina sedimentum deponit; si denique menses et haemorrhoides solito tempore intrant. Maculae in hoc benigno casu decrescunt, exanthema

planius fit, sensimque evanescit, quo morbus sublatu est.

Phaenomena contra mali ominis sunt: si ad has maculas et efflorescentias alia symptomata accedunt: pruritus ad partes genitales, continens desiderium ad coitum, ulcera, tumores glandularum inguinalium, blennorrhoea. In hoc casu enim semper timendum est, ne morbus ipse se excolat, praesertim si forte febris tertiana vel quartana, horripillatio, formicatio sub cute, dedolatio artuum, hebetudo omnium sensuum externorum, vertigo, symptomata nervosa, obstructio alvi et urina turbida, spumosa et foetida accedunt.

Si morbus ipse excolitur, semper febricula immediate antecedit, quae plerumque typum tertianum vel quartanum habet. Simul lassitudo, anxietas et timiditas observatur, pulsus parvus, debilis et tensus, urina turbida cum sedimento latericio; sudor et spiritus graveolens, sanguis e vena missus nigrescens, crassus, et interdum acinis albidis mixtus est, qui corruptam et dissolutam indolem lymphae coagulabilis indicant. Facies aegroti pallescit et tumescit, ad palpebras tumores duri lymphatici oriuntur, oculi semper madent, cornea turbida et dyscolor est; muci secretio in naribus plane fere desinit, olfactus perditur et sternutatio frequens observatur. Venae colli, frontis, et sublinguales varicose intumescunt; capilii fiunt ratiores et decolores

saepe etiam rigidi, perscissi emoriuntur et excidunt, vox debilis et rauca fit, totum corpus emacescit.

Haec nominata Phaenomena in omnibus tribus leprae formis eruptioni morbi antecedere solent, in ulteriore autem decursu singulae memoratae leprae modificationes peculiaria praebent symptomata.

Lepra alba seu Hebraeorum vel etiam Mosaica, quippe quae in scriptis sacris a Mose memorata et descripta est, modificatio vetustissima est, haecque forma in antiquorum orbe terrarum, in Oriente praecipue et Aegypto, saepissime occurrit, nostris temporibus autem inter omnes rarissime observatur.

Oritur plerumque ex pannis maculosis albis, praecipue si non dolent, exanthema non accedit, maculae vero ipsae magis magisque se expandunt, nivis albedinem induunt, simulque tumores albidii articulorum exstant, lymphæ turbida et crassa repleti. Partes solidae relaxantur, cutis nivis instar albescit, insensibilis fit et tumida, sicca et aspera, et squamas furfuraceas secernit. Rupturae in cute oriuntur, quae in crustas albas transeunt, unde magnae partes cutis secernuntur. In altissimo leprae albae gradu pluries per annum tota cutis uti in anguibus exuitur, unde nomen lepra Tyria. Ex illis cutis rupturis nonnunquam ulcera oriuntur, quae humorem viscidum secernunt. Labia et gingiva fungosum et putridum praebent characterem, saliva copiosa, viscida effluit, ungues corrumpuntur et excidunt; alvi secretio tenuis et aquosa, urina minus tincta, crassa,

cum pure intermixta, turbida, pinguemque monstrat membranam superficialem; sanguis nimis multum continet seri, albide turbidus est, cruor quoque albidus vel griseus apparet. Praeterea omnia symptomata priora perdurant, immo crescunt. Nonnunquam tota cutis obtegitur pustulis, quae in squamas albidas vel ulcera transeunt et, nisi caro fungosa sub iis condita sit, pro criticis habentur, simul hebetudo omnium sensuum magis magisque increscit, hydrops et tabes oritur, mors denique adducitur.

Lepra squamosa seu Graecorum saepius priore occurrit, et a recentioribus Europaeis, ipsisque Germanicis medicis haud raro observata est ¹⁾). Saepissime et quidem endemice in Graecia occurrit; prioribus temporibus in Europa etiam occidentali diu sub nomine scabiei malignae nota erat, et valde timebatur.

Haec forma oritur post corrodentes efflorescentias cutaneas, post alopeciam et similia phaenomena, accedente febris, plerumque tertiana. Efflorescentiae evanescent, et redeunt, lente se extendunt, valde pruriunt et corrodunt, siccae manent crustasque crassas discolores formant. Epidermis tum in massis corneis desquamatur et cuti supposita rubra et inflammata apparet, vehementesque dolores urentes

¹⁾ Reusch in Hufelands Journal der praktischen Heilkunde 1810, Jun. pag. 1.

Sprengel Institutiones pathologiae specialis. pag. 759.

praecipue noctu sentiuntur, quibus rupturae cutis et ulcera accedunt, ungues tumescunt, nodosi et crassi fiunt, capilli scinduntur et excidunt, corporis exhalatio odorem peculiarem praebet, glandulae intumescunt et indurescunt, respiratio impeditur, tussis vehemens spasmodica oritur. Post omnia haec symptomata magna debilitas universalis et insomnia intrat, sudores frequentes viscerum, sitis magna, serius animi deliquia aliaque symptomata nervosa, quibus denique mors adducitur.

Subspecies hujus formae leprae illa est, quae nomine populari Malmorto (malum mortuum, Todtenbruch) nominatur. Haec magis localem se praebet, plerumque in pedibus, cruribus vel brachiis, itidem crustas facit, quibus vero cutis valde insensibilis supposita est; reliquus phaenomenorum decursus fere idem est atque in lepra squamosa.

Lepra nodosa Aegyptum pro peculiari patria habuisse, inde vero per Asiam minorem usque ad Romam se extendisse dicitur. Nunc quoque crebro in Oriente observatur, praecipue inter Nilum flumen et Euphratem, ubi vetus suum nomen Arabicum Dsjuddam vel Madsjurdam obtinet, etiam vero in Africa boreali et media, uti quoque in India invenitur, e quibus regionibus ad insulas indicas occidentales, et in terram Americae firmam translata est. Bella illa, crucis nomen ferentia, multum contribuerunt ad hoc malum per Europam propagandum. Hic morbus per plura secula in Europa occidentali

et meridionali satis communis erat, donec ineunte seculo decimo quinto repente evanescere incepit, ex quo tempore rarissime tantum in Europa observatus est, etsi passim singula occurrunt exempla.

Lepra nodosa vel elephantiasis plerumque in pannum fuscum vel in lepram squamosam prius descriptam sequitur. In eruptione morbi febris quartana intrat, conjuncta cum tristitia, dedolatione et tumore glandularum. Facies intumescit, praecipue palpebrae, quae rugosae et nodosae fiunt et invertuntur; color faciei fusco-flavus vel plumbeus et squalidus fit, oculi macescunt, vultus fit languidus, turbidus vel torvidus; oculus continuo madet et vis vitalis valde debilitatur. Mox exanthema in variis locis se manifestare incipit, ad aures, genas, labia, mentum, mox vero in toto corpore. Nodi magnitudinem pisorum vel etiam nucum et ovorum gallinaceorum habent, coloris squalidi, pallide rubri et plane indolentes sunt. Inter hos nodos minores majoresve sulci oriuntur, qui mox disrumpuntur; praecipue in labiis tumescentibus multae repturae et plicae reperiuntur, quae frequenter sanguinem mittunt et faciem deformem reddunt. Gingiva etiam fungosa, sanguinolenta et quasi corrosa apparet.

In hoc morbi gradu plerumque species melancholiae vel vesaniae accedit, quae tantum assequi potest gradum, ut homo animalis characterem assumat; omnes sensus hebetes redduntur, universalis totius corporis anaesthesia intrat, quae in nodis

tanta est, ut aegroti nullam monstrent sensationem, si illi inscindantur, aut aqua fervida infundantur, vox semper debilior fit, loquela impedita et serius plane perdit. Partes genitales solae in statu valde irritato versantur, cum fere continuo vehemens coeundi impetus adsit. Praeterea dispnoea et inexplibilis sitis aegrotum vexant; urina oleosa est, excretio alvi aut suppressa, aut in diarrhoeas colliquativas aucta; morbus denique plerumque in tabem exit.

Signum maligni exitus morbi satis certum est, si nodi in ulcera transeunt. Haec valde maligna sunt, margines duros et fungosos, superficiem fungosam praebent; simul plane indolentia sunt, ichorem cruentum, foetidum secernunt, mox caries oritur, talesque desorganisationes, ut saepe digiti manuum et pedum, nasus, aures, immo extremitates universae sine dolore decidant. Totum corpus, praecipue facies horribilem praebet habitum, qua re haec forma nomen *Leontiasis*, leprae leoninae accepit.

In cadaverum sectionibus tela cellulosa conspissata et cartilaginea, glandulae scirrhosae apparent; periosteum evanuit; substantia ossea mollis, fungosa et cariosa, tubus medullaris plane perditus. Viscera, praecipue hepar et lien tuberculis et concrementis calculosis repleta sunt.

Causae Leprae.

Universim causae leprae non accurratae definiendae sunt. Nunquam una causa ad eam procrean-

dam sufficere videtur, sed semper conjunctio plurimum rerum nocivarum requiri, quum regiones inveniantur, in quibus una alterave causa hujus morbi in summo gradu adest, quin idcirco lepra ibi endemica sit.

Ad has causas pertinent: magnus aestus, aer humidus, humus humidus, frequens usus carnis pinguidae et sale conditae, carnis suillae, piscium putridarum; immunditia, aqua corrupta, impura, abusus veneris, tristitia, terror, alique affectus animi; stagnatio, induratio et ulcera viscerum abdominalium. Syphilis, scorbutus, scabies, et exanthemata chronica neglectione et immunditia in praesente corporis praedispositione in lepram transire posse dicuntur.

In plurimis casibus autem propagatio leprae contagio efficitur, praecipue in terris calidis. Haec infectio in omnibus quidem stadiis effici potest, praecipue vero in summo morbi exculti gradu contingit; ceterum omnique ratione effici potest, qua universim contagia ad corpus humanum transferuntur, praesertim igitur coitu.

De natura contagii leprosi nihil quidem certi scimus, attamen hic morbus cum aliis contagiosis in multis rebus convenit. Saepe hic morbus hereditarius invenitur et apud liberos parentum leprosum jam in prima aetate erumpit, plurime autem tempore demum pubertatis; attamen exstant casus, in quibus parentes leprosi sanos genuerunt liberos, qui nunquam hoc morbo corripiebantur; contrarium vero etiam invenitur. Infantes rarissime hoc morbo

laborant, mulieres rarius viris, et castrati minore in gradu, aut nunquam.

Proxima hujus morbi causa in peculiari corruptione partium fluidarum et solidarum corporis et in morbosa reproductione constat, cujus indolem vero non accurate eruere valemus.

Comparatis nunc morbi Radesyge symptomatibus cum illis variarum leprae formarum, verosimillimum fit, illum morbum leprosum esse, sed localibus et occasionalibus causis multifarie modificatum. Hensler ¹⁾ jam Radesyge pro leprae specie habet, et cum eo plures priores posterioresque medici consentiunt. Radesyge quidem non vehementiae illum gradum assequi, uti lepram constat, idcirco autem minimo jure utrumque morbum pro plane diverso declararemus, quum sciamus, alios quoque morbos omnes, rebus agentibus mutatis, diversissimo modo variari.

De Weigel pluresque alii lepram pro morbo a Radesyge omnino diverso declarant, idque sequentibus causis permoti:

a. Lepram spiritu graveolente, habitu cachectico et facie splendente stipatam esse, his omnibus Radesyge carere; omnes autem fere medici, qui de Radesyge scripserunt, spiritum graveolentem et habitum omnino cachecticum in exulto morbi gradu

¹⁾ Hensler Monographie etc.

observabant, quorum Pfefferkorn expresse mentionem facit.

b. Lepram omnes fere corporis partes afficere, Radesyge contra raro plures simul. Verum quidem est, in Radesyge rarius omnes partes affectas inveniri quam in lepra, sed etiam casus exstant, in quibus totum corpus exanthemate vel ulceribus tectum est, itaque haec res nullum distinctionis signum praebet.

c. Lepram faciem quoque bulbos, et palpebras oculorum afficere, oedema aut tumorem unius alteriusve pedis progignere, quod in Radesyge raro contingat. Sed haec quoque sententia, etsi vera sit, nihil probat, quum illa symptomata raro quidem, sed non nunquam in Radesyge observentur.

d. Lepram denique antiquissimum esse morbum, Radesyge contra in Suecia anno demum 1787, in Norvegia 1720 primum observatum esse. Sed annales veteres tradunt ¹⁾, saeculo jam decimo tertio homines morbo Radesyge mortuos esse.

Quin igitur hic totum symptomatum utriusque morbi decursum perlustrem, in iis tantam invenire mihi videor similitudinem, ut morbum Radesyge a Lepra derivatum, sed temporum cursu, climatis et vivendi rationis influxu, varia denique curandi methodo modificatum censeam.

¹⁾ Pfefferkorn, über die norwegische Radesyge und Spetalsked. Altona 1797, pag. 27.

Morbus nostro propinquus ille est Holsatus, quem Marschkrankheit nominant. L.A. Struve¹⁾ eum fusius in tractatu suo descripsit, equidem vero eum nunquam observandi habui occasionem. Struve eum pro eodem ac Radesyge declarat, minoris tantum gradus, eumque cum Lepra comparans dicit: omnes hos tres morbos esse eosdem, tempore tantum, climate et vivendi ratione modificatos.

Radesyge cum Scorbuto comparatus.

Plures scriptores ut Moeller et Arbo Radesyge pro morbo scorbuticae indolis habuerunt. Sunt quidem nonnulla phaenomena in scorbuti decursu, quae etiam in Radesyge occurrunt; si vero imaginem universam morbi contemplamur, tot inter utramque aegritudinem in lucem prodeunt discrimina, ut eas inter se pares habere omnino nequeamus. Sequentes praecipue causae nos movent, ne Radesyge pro scorbuticae indolis morbo declaremus.

1) Scorbutus verus in Suecia et Norvegia humidis invitis regionibus ad morbos rariores; Radesyge contra ad frequentiores pertinet.

2) Uterque morbus, Scorbutus et Radesyge, in eodem saepe simul occurrunt individuo, ita ut luculenter inter se distingui possint.

3) Locali scorbuti eruptioni nunquam febris tam

¹⁾ Ueber die aussatzartige Krankheit Holsteins, daselbst die Marschkrankheit genannt. Altona 1820.

aperte catarrhali-rheumatica antecedit, quam illa in prodromis Radesyge.

4) In scorbuto difficultates concoctionis ad tantum gradum provehuntur, quem in Radesyge nunquam assequuntur.

5) Immobilitas articulorum in scorbuti veri initio jam praesens, in initio Radesyge deest, aut certe cum locali morbi eruptione valde decrescit.

6) Dyspnoea in scorbuto longe gravior est quam in Radesyge, et dolores pungentes pectorales, qui in scorbuto sentiuntur, in Radesyge nunquam observantur.

7) Symptomata characteristica localia morbi Radesyge in scorbuto omnino desunt.

8) Maculae cutaneae, quae in utroque morbo adsunt, luculenter inter se distinguenda sunt. Maculae squalidae, flavae, virides scorbuti serius nigrescunt, et magnitudinem punctionis pulicum usque ad illam volae manus habent, saepe etiam sugillationes sanguinis efficiunt. Sub epidermide vasa in scorbuto serum sanguinis corruptum exhalant et tum maculas lividas, bruneas, rubescentes flavas et virides procreant. Hae macularum species in Radesyge nunquam observantur. Praeterea maculae in scorbuto raro vel nunquam faciem occupant, in Radesyge contra saepissime.

9) Stomacace in scorbuto tam frequens in Radesyge deest.

10) Haemorrhagiae copiosae ex ore, lingua, nari-

bus, pulmonibus, haematemesis et alvus cruenta, quae in fastigio scorbuti occurrunt, in Radesyge non observantur, in quo si haemoptoë oritur, semper sequela phthiseos pulmonalis excultae est.

11) Ulcera scorbutica praecipue ad suras oriuntur, et maxime fundo fungoso tam facile cruento ab ulceribus in Radesyge distinguenda sunt.

12) Hydrargyrum in scorbuto nocet, in Radesyge contra prodest.

13) In scorbuto denique organismi systema irritabile, in Radesyge systema vegetativum sedes affectionis principalis est.

Radesyge comparatus cum syphilide.

Haud negandum est, morbum Radesyge cum syphilitico nonnullas praebere similitudines, qua re in Suecia a vulgo morbus venereus vel gallicus nominatur, immo etiam a medicis multis pro syphilitico habetur.

Cum morbo venereo affectionem quidem colli et narium, ex parte etiam efflorescentias cutaneas et alia symptomata communia habet, quod ex utroque morbo comparato patet; attamen tam gravia discrimina inter utrumque morbum mox memorabo, ut Radesyge et syphilidem summo cum jure pro morbis omnino diversis declarare mihi videar.

1) In nullo morbo Radesyge laborante eruptioni morbi universali affectiones primariae partium genitalium uti in syphilide antecedunt. Blennor-

rhoea urethralis, ulcus et fluor albus phaenomena sunt, quae semper in syphilide, nunquam in Radesyge occurrunt; in hoc contra affectio universalis, febris catarrhali-rheumatica morbum inducit et serius demum affectio localis apparet.

2) Infectio syphilitica plerumque coitu efficitur, in Radesyge contra rarissime hac ratione. Ad infectionem syphiliticam per coitum secundum experientiam nulla singularis receptivitas individui pro contagio venereo requiri videtur; in Radesyge contra saepe unicum totius familiae membrum per multos annos morbo laborat, quin eum in reliqua propaget; saepe vero hic morbus statim ab uno ad omnia transfertur.

3) Padesyge hereditate ad liberos, eorumque proles transfertur, quod saepe observatum est; in syphilide nonnulli quidem id etiam asserunt, sed certe rarissime occurrit.

4) Symptomata characteristica morbi Radesyge in syphilide nunquam, ne in summo quidem ejus gradu observantur. Deest in syphilide febris catarrhali-rheumatica, desunt maculae illae specificae et ulcera inde orientia. Syphilis, si cavum naris et faucium afficit, multo citius partes dirimit quam Radesyge, in quo gravedo et inflammatio colli per annos durare possunt, evanescunt et redeunt, priusquam organisationem harum partium corrumpunt.

5) Symptomata, syphilidi et Radesyge communia, in lepra quoque occidentali adsunt, nihil igitur de

identitate syphilidis et Radesyge probant, cum illa lepra a syphilide certo diversa habenda sit.

6) Pro principali argumento identitatis Radesyge et syphilidis id prolatum est, quod uterque morbus mercurio sanari possit. Si vero animadvertimus, quot alii morbi mercurio sanentur, quam fortiter cura illa inunctoria, praecipue secundum Louvrier et Rust adhibita in multas alias metamorphoses minime venereas agat, e. gr. scrophulosin; hoc argumentum nullius est momenti.

Has causas sufficientes censeo, quibus morbum Radesyge a lue inveterata et universali plane diversum declarem.

Scherlievo denique, morbus terrarum austriacarum mari adjacentium et Dalmatiae, in toto decursu cum Radesyge maximam similitudinem habere dicitur. Mihi quidem hunc morbum observare nunquam contigit. Massig et Cambieri, qui de hoc morbo scripserunt, eum pro morbo Radesyge Norvegico simili declarant; prodromi et totus decursus utriusque morbi tam parum inter se discedunt, ut uterque morbus pro eodem, loco, climate et vivendi ratione modificato habeatur.

Therapia morbi Radesyge.

Radesyge, si nondum nimium assecutus est gradum, ad morbos sanabiles pertinet, quo magis vero progreditur, eo magis etiam ad leprae formam appropinquatur et ut haec insanabilis fit, quae ta-

men insanabilitas in Suecia et Norvegia rarior est. Facilius morbus sanatur, si maculis tantum et ulceribus, vel omnino in mollibus partibus se manifestat; difficilius contra, si affectio universalis adest, magna ulcera multa loca cutis simul occupant, caries et exostosis apparent, et vis vitalis aegroti valde debilitata est. Malam prognosin ulcera quoque faucium et narium reddunt, ita ut complicationes cum scrophulosis, rhachitide et scorbuto. Aestas curationi magis favet, quam hiems.

In curando hoc morbo maximi est momenti, ut humores corrupti et decompositi ita mutantur, ut status ille morbosus haud perdurare vel saltem haud progredi possit. In hunc finem Mercurialia varia simul cum resolventibus, diaphoreticis et mite purgantibus decoctis lignorum, et cura diaetetica vel detractoria secundum Osbeck utilia et multis observationibus probata sunt.

In initio curationis non rare fit, ut cruditates primarum viarum removendae sint, quippe quae partim per se morbo nocent, partim postquam remotae sunt, ventriculum et tubum intestinalem pro reliquis medicamentis aptiorem reddunt; quum praecipue Mercurius tum fortius et citius resorbeatur, et morbus eo citius frangatur. Purgantia mite drastica in hoc morbo mite laxantibus praeferenda videntur, partim quum profundius in organismi reproductivitate agant, partim quum in magna ca-

nalis intestinalis laxitate fortiora remedia requirantur ad alvi excretionem promovendam.

Aptissime videtur Jalappa cum Calomelane conjuncta,

Rp: Pulv. rad. Jalapp. ʒß-j
- merc. dulc. gr. x.

Hic pulvis tres vel quatuor sedes efficit, quod sufficit. Corpore ita purgato et praeparato, ad usum calomelani cum decoctis lignorum conjuncti progredimur. In omnibus morbi stadiis praecipue mercurius sublimatus corrosivus adhibetur. Hoc praeparatum inter omnia mercurii maxime irritat, in eo igitur adhibendo semper status ventriculi et intestinorum ratio habenda est, quum praesentem forte jam concoctionis affectionem adhuc augeret. Ex alia parte vero nullum aliud praeparatum mercurii tantopere valet, organicas destructiones, quales in Radesyge, syphilide et scrophulosi occurrunt, cito interrumpere.

Constitutiones laxae et languidae hoc praeparatum optime ferunt. Virtutes ejus in eo constant, quod minores altioresque gradus Radesyge et syphilidis tum etiam adhuc sanare potest, si jam periosteum et ossa ipsa affecta sunt; quod porro symptomata urgentia ex. gr. ulcera corrodentia colli, narium et reliqui corporis cito tollit, quod denique raro tantum salivationem procreat; in ejus quoque usu necessitas cubiculum non relinquendi multo minor est, quam in usu omnium reliquorum praepa-

ratorum. Attamen sublimatus vitiis non caret: raro ab individuis sensilibus et irritabilibus, rarius adhuc a hypochondriacis et hystericis et infantibus perferitur, in quibus saepe cardialgias, colicas et febrem procreat, quae facile in febrem hecticam transit. Symptomata quoque morbi, eo citius sublata, saepe mox redeunt, sublimato deposito, tumque eo pertinaciora sunt. Omnium harum rerum igitur semper ratio habenda est, et post usum sublimati cura optime cum alio praeparato Mercurii continuatur, ne morbus redeat.

Aptissime in nosocomiis et pauperioribus aegrotis massa pilularum, minoris pretii, et a Richtero laudata in syphilide inveterata, etiam hic adhibetur:

Rp. Mercur. subl. corros.

Opium puri aa gr. iv.

Succi liquirit 3ij

Aq. destillat q. s. ut. fiunt l. a. pilul. No. 80.

Conspergant. pulv. cort. cinnamom.

Harum pilularum adultis mane et vespere quatuor ad quinque dantur. In aegrotantibus, qui pilulas deglutire nequeunt, sublimatus in decocto sassaparillae solvi et nonnullae guttae tincturae opii addi possunt. Plerumque Radesyge morbo laborantes sublimatum perbene ferunt, et in crescentibus ejus dosibus a $\frac{1}{10}$, $\frac{1}{4}$ et $\frac{1}{3}$ grani bis per diem sero demum prodromi salivationis, et rarissime salivatio ipsa intrat.

In Radesyge saepe mercurius Hanemanni datus est, qui vero, quum valde lente nec satis tuto agat, post sublimatum tantum jure datur; alii totam curam purgantibus et decoctis lignorum absolvere studuerunt, sanatio autem lentissime progreditur et praeterea non tuta est, nisi saltem cum cura rigoro-
sa conjungatur.

Ad decocta lignorum in Radesyge optime radices et ligna adhibentur, quae cathartica nominantur, quorumque agens praesertim in elementis acribus, resinosis et amaris constat. Huc pertinent: rad. sassaparillae, caricis arenariae, bardanae, chinae, lignum guajacum, lignum et cortex sassafras, stipites dulcamarae et alia, quibus plerumque mucilaginosum additur, additamentum etiam foliorum sennae utile est, praecipue in segni actione tubi intestinalis.

Haec decocta in satis magna quantitate (duae ad quatuor mensurae per diem) et satis concentrata bibenda sunt, si bonum exserere debent effectum. Usus Mercurii et horum decoctorum aegrotus per quatuor ad octo dies continuat, tum purgans sumit, et deinde denuo ad Mercurium et decocta redit.

Secundum actionem canalis intestinalis intra quatuor vel octo dies semper purgans dandum est, quippe quod simul salivationem praematuram impedit. De duratione hujus curationis in genere nihil statuendum est, in paucis quatuor hebdomades ad sanationem sufficiunt, saepius vero per sex, octo vel decem hebdomades, immo per plures menses conti-

nanda est; praeterea vero interdum fit, ut sublimatus, ob accidentales ejus effectus deponendus et cum alio praeparato commutandus sit.

In hac curatione plerumque quidem morbus sanari potest, attamen vero in Radesyge decursu nonnunquam symptomata occurrunt, in quibus Mercurius solus non sufficit.

Ubi cutis exanthemate foedissimo corrumpitur, Mercurius et decocta lignorum cum illis praesertim remediis conjungenda sunt, quae in morbis exanthematicis indicata sunt: flores sulphuris, antimonialia, antimonium crudum, aethiops antimonialis et similia.

In doloribus artuum gravibus praecipue circa articulos et cum tumore conjunctis, Mercurius cum antarthriticis conjungatur: sulphur auratum antimonii, extr. aconiti, magnesia, sapo camphoratus cum opio.

In tumoribus ossium et carie Mercurius cum asa foetida vel acido phosphorico conjungatur.

In ophthalmiis gravibus, quae vento flante in his regionibus borealibus saepe oriuntur et characterem Radesyge induerunt, emplastra cantharidum post aures ponantur et unguentum ophthalmicum applicetur.

In hac, aliisque curationibus per Mercurium aegrotis diaeta et vivendi ratio apta commendanda est, quam accurate observandam medicus curare debet.

In suppressa et turbata transpiratione cutis, haec

restituenda est, aegrotus cubiculum modice calefactum servet, cujus aër quotidie caute renovandus est.

Mundities cutis summopere tuenda est, quae igitur si squalida est, balneum tepidum vel lavationes tepidae cum aqua saponata commenduntur. Lectus aegroti quotidie aëre puro transletur ejusque lintea saepe puris mutantur, idem de linteis aegroti ipsius valet. Aegrotus solus dormiat, coitu plane se abstineat, et propriis vasibus ad edendum, bibendum et lavandum utatur, paucum porro edat nihilque pingue carnisque salsae vel fumigatae; adeps, sal, et butyrum cibis non addantur; liquor ustus, cerevisia, et decoctum coffeae plane vetentur; omnia acidula, acetum, juscula frumentorum et lac ebutyratum nocent.

Utatur contra aegrotus muco hordei et avenae, lacte cocto sine cremore, pani albo veteriore vel pani e secali bene cocto. Fructus solani tuberosi sine sale permitti possunt. Ad potum, praeter decocta nominata, aqua pura commendanda est.

Conjunctio hujus curae et dietae plerumque ad morbum sanandum sufficit. Casus mitiores, affectiones colli, maculae, ulcera non cariosa et condylomata, hac curatione post quatuor ad decem hebdomades evanescunt; symptomata graviora, ozaena, caries faucium longius tempus, interdum menses et annos requirunt et in his casibus medicus saepe ad curam detractoriam, cum inedia vel inunctoriam confugere debet, de quibus serius nonnulla dicam.

Praeter curationem cum sublimato, alia quoque mercurialia in Radesyge, uti in syphilide externa, interne adhiberi possunt, cum minore autem effectu.

Cura singularis fumigatoria est, quae in Suecia et Norvegia a medicis circumforaneis saepe cum optimo successu adhibita est. Ronander eam saepe in usum duxit et in multis casibus, praecipue in affectionibus cutaneis, in Radesyge tam frequentibus, utilem invenit.

Si mercurius in genere contraindicatus est, fumigationes quoque applicari nequeunt; si vero contraindicationes desunt, Ronander eas efficacissimas censet, quippe quae brevissimo tempore illam formam Radesyge sanant, in qua reproductio abnormis exanthemate, crustis et ulceribus cutis se manifestat, immo etiam ossa correpta sunt.

Priusquam fumigationes instituuntur, aegrotus laxans sumit et per quinque ad sex dies refracta utitur diaeta, quotidie balneum sumit tepidum et quodpiam decoctorum supra nominatorum bibit. Deinde duodecies cum Zinnabari, lithargyro et colophonio aa gr. V. fumigatur. De additamento arsenici et sulphuris Ronander nullum vidit commodum. Fumigationes quotidie repetuntur, donec salivationis symptomata apparent, inde vero secundo tantum quovis die. Fumigatio continuatur donec sudor universalis erumpit, qui deinde in lecto per duas saltem horas, potu tepido, optime decocto radicis Chinae conservandus est. In fumigatione quinta ad

octavam plerumque salivatio oritur; si vero prius intrat, cura omittenda est, quippe quae ab aegroto non ferretur. Salivatio aqua tantum tepida mitigari debet, post septimam fumigationem laxans mite dari potest. Si aegrotus salivatione prima sublata non valde debilitatus est, nec morbus sanatus, haec cura iterum institui potest.

Remedium vero mercuriale maxime heroicum simul vero efficacissimum uti in syphilide ita etiam in Radesyge locum invenit aptum: cura scilicet rigorosa inunctoria, quam Louvrier et Rust aptiorem instituerunt, et cum cura detractoria conjunxerunt. Methodo inunctionis praecipue a Rustio rectificata, medicus summum gradum efficacitatis universalis mercurii provocare et vehementissimam reactionem organismi excitare potest, quae certis criticis phaenomenis se manifestat et transmutationem fere completam vegetationis, et restaurationem organisationis adducit. Salivatio continens hujus morbi crisin constituit, qua re essentialiter ad hanc methodum pertinet.

Haec methodus efficacissima locum habet in pertinacissimis et inveteratis affectionibus vegetationis et reproductionis, quae se excrescentiis et pseudoproductionibus manifestant, itaque in syphilide et Radesyge cum vegetatione cutis, telae cellulosaе, glandularum et ossium excedente, in pertinacibus igitur exanthematibus, tumoribus, tophis et exostosis.

Cachexiae, dyscrasiae, tabes praecipue nervosa, status hecticus, phthisis et omnis debilitates vera hanc methodum contraindificant.

Ratio illa optima, qua Rust curam inunctionariam et detractoriam instituit, haec est.

Aegrotus primum remedio purgante et deinde per duodecim dies subsequentes quotidie balneo tepido duarum horarum ad curam praeparatur. Simul ter per diem jusculum tenue, infusum coffeae, poma cocta et parvam portionem panis albi accipit. Ad potum aqua pura vel decoctum altheae vel sassa-parillae convenit. Haec praeparatio rursus cum purgante finitur.

Nunc inunctiones ipsae instituuntur cum unguento ex una parte mercurii et duabus partibus adipis. Inunctiones, quarum sex ad duodecim requiruntur et ad quas singulas drachma vel drachma et semis unguenti sumitur, in sequente ordine instituenda sunt:

primo	die mane	in utrumque crus	tota quantitas.
tertio	- -	in femur utrumque	
sexto	- -	in brachium utrumque	
octavo	- -	in dorsum	
decimo	- -	iterum in crura	
duodecimo	- -	in femora.	

Die sextodecimo, quo crisis expectanda est, vespertino demum tempore tergum infricatur. Sequenti die plerumque proclivitas ad purgationem alvi adest, quae mite purgante remedio adjuvatur.

Die octavodecimo vespere in utrumque crus infricatur; die undevigesimo denuo purgans mite datur, et hac ratione secundo quovis die alternatim infricatur et purgatur usque ad diem vigesimum quintum, qui curam finit.

Durante cura diaeta supra dicta continuatur, cubiculum et lintea non mutari, aegrotus se non lavare debet. Versus diem decimum quartum ad decimum sextum crisis febris mercurialis plerumque intrat, et quidem cum sudore copioso, urinae et alvi excretionem aucta, praecipue vero salivatione. Haec res. hujus curae efficacissima, nisi quotidie plus tres liberae salivae excernitur, supprimi aut imminui non debet. Si vero nimis copiosa est, infriktiones per nonnullos dies omittuntur et aegrotus purgatur. Ubi vero tertio vel quarto jam curae die salivatio intrat, haec cura non perfertur et statim omittenda est.

Cura secundaria in balneo tepido, lavationibus totius corporis cum spiritu vini et sapone, in cubuli, lecti et linteorum mutatione constat. Transitus vero ad alimenta solida caute tantum faciendus est.

Uti externa remedia in Radesyge, in affectionibus cutis, maculis et ulceribus varia unguenta, variaeque lavationes commendata et adhibita sunt; aqua phagadaenica, aq. mercurialis nigra, aq. phagadaenica cum extracto conii, cum decocto quercus, acidum nitricum dilutum, unguentum hydrargyri cinereum, liquor ad condylomata Plenckii, pulvis sabinae,

gargarisma e salvia, decoctum quercus, borax, liquor myrrhae et prae omnibus balnea.

Ex his remediis externis in curae methodo Osbeckiana, quae in nosocomiis Sueciae recepta est, aqua nigra (calomel. $\mathfrak{z}\text{j}$, aq. calcis $\mathfrak{f}\text{ij}$), decoctum chinae cum extracto saturni adhibebantur, uti mox in describenda hac methodo fusius indicabitur.

Cura illa detractoria rigorsa et per se sola, et a variis medicis cum diversis remediis conjuncta, adhibita est, et semper fere cum optimo successu. Nulla tamen ejus modificatio in curando Radesyge tantam nacta est celebritatem, quam illa ab Osbeck proposita. Haec quidem minime recens sed tantum ad Osbeck continenter observata, correctata, inedia mitigata, ejusque usus certior factus est. Postquam Osbeck anno 1810 multos aegrotos, insanabiles jam habitos, hac methodo plane sanaverat, a collegio medico Holmiam vocatus est, ubi tales pro insanabilibus declaratos casus suscepit, et plane sanavit. Anno 1811 (august) Osbeck suam methodum Holmiae in vulgum edit ¹⁾, et ex hoc tempore in usum universalem tracta est. Methodus igitur illa Osbeckiana haec est:

Sine omni praeparatione aegrotorum Osbeck hanc diaetam praescribit: $\mathfrak{z}\text{v}$ carnis bovis, vituli, ovis, galli, non vero pinguidae quotidie assae sine

¹⁾ Osbeck, till den svenska allmänheten: fullständig uppgift af min brukade Cur-Methode sjukdomar. Stockholm 1811.

adipe vel juscule eduntur. Haec vero portio cum panis albi ℥vj cum aqua cocti in tres partes dividitur, ita ut aegrotus tribus vicibus edat. Raro aegroti plus appetunt, si vero vires eorum debilitatae sunt, portio carnis serius ad ℥viij augeri potest. Si aegrotus in hac diaeta per octo vel quatuordecim dies alvum non deponit, quod saepe fit, clisma dari potest, quamvis haec obstructio curae nihil noceat.

Remedia, quae praeter hanc diaetam ad methodum Osbeckianam pertinent, sunt haec: pilulae ex extracto et pulvere Chaerophylli sylvestris. Extractum ex toto cauli cum foliis et floribus paratur, si planta efflorescere incipit. Pulvis paratur e foliis in umbra et puro aëre siccatis et pulverisatis. Pilulae secundum Osbeck sequenti modo parantur:

Rp. Extr. Chaerophyll. sylv. ℥j

Pulv. folior. Chaeroph. q. s. ut. f. massa pilul. unde formentur pilul. pond. gr. ij D.

S. Morgens und Abends 3 Stück nebst folgendem Chinadecot zu nehmen.

Rp. Rad. Chinae inc. ℥ij

coq. in. aq. commun. ℔iv ad remanent ℔ijß Cola. D.

S. Chinawurzeldecoct, welches nach und nach den Tag über getrunken wird.

Pilulae ex sublimato secundum Pharmacopoeam Suecicam (edit. quarta) prius cum pilulis e Chaerophyllo alternatim dabantur, quum vero earum usus nihil efficeret, postea omissae sunt.

Ad usum externum Osbeck sequentia adhuc commendat:

Rp. Hydrarg. muriat. mit. ℥j
solv. in aq. calc. ℥j. MDS. Merkurial-
wasser.

Rp. Decoct Rad. Chin. ℥j
Tinct. Myrrh. ℥ij. MDS. Mischung zum
äusserlichen Gebrauch.

Rp. Decoct. Rad. Chinae ℥j
Extract. Saturn. ℥j. MDS. Bleimischung zum
äusserlichen Gebrauch.

Die, quo cura diaetetica incipit, mane et vespere tres pilulae Chaerophylli sumuntur et decoctum Chinae bibitur, quod per sex hebdomades continuatur. Si diarrhoea oritur, pulvis ex gr. $\frac{1}{4}$ Cntr. opii. ℥j gj arab. et ℥j sacchari datur.

Refrigerium cautissime praecavendum est.

Ulcera profundiora initio cum aqua mercuriali humectantur, serius cum mixtura myrrhae et denique cum plumbea.

Loca diu jam cariosa, praecipue in cranio, ad promovendam exfoliationem et sanationem cum trepano perforatorio Osbeckii perforantur.

Itaque haec methodus Osbeckii contra mitiores et gravissimos gradus Radesyge morbi per multos annos adhibita et probata est, in aegrotis ipsis, qui jam ut insanabiles emissi erant.

Postquam haec cura per sex hebdomades continuata est, aegrotus majores jam portiones ciborum

facile concoquendorum accipit, et si adhuc non sanatus est, cura denuo instituitur.

Indicationes et contraindicationes hujus curae fere eadem sunt atque in usu mercurii.

Olim etiam cicuta, praecipue extractum ejus cum usu in hoc morbo adhibebatur.

De usu acidi sulphurici Pfefferkorn in pertinacissimis exanthematibus multum commodi se vidise contendit.

CURRICULUM VITAE.

Ego Ioannes Belart, Brugae, Pagi Arolensis oppido, die X mens. Septembris anni MDCCCVIII, patre Ioanne Belart, mercatore et matre Catharina e gente Baechlina, utroque adhuc superstite, natus et confessioni evangelicae addictus sum.

Primis aetatis annis domi in litteris elementariis instructus, Gymnasium patriae urbis per sex annos frequentavi, quibus praeterlapsis in oppido Locle studio linguarum classicarum et recentiorum dedi operam.

Mense Aprili anni MDCCCXXV Turicum me contuli, ubi die ejusdem mensis XXIX in Institutum medico-chirurgicum, sub auspiciis Professoris Dr. Schinz senioris florens, receptus sum.

Per quadriennium, quod in hoc Instituto degi, sequentes celeberrimorum virorum praelectiones frequentavi:

Cel. Locher-Balber Encyclopaediam et Propaedeuticam medicam; Cel. Schinz jun. historiam

naturalem; Cel. Schinz sen. botanicen; Cel. Irming-
 ger pharmaciam et chemiam; Cel. Schinz jun. phy-
 siologiam; Cel. Friess anatomiam generalem; Cel.
 Hirzel angiologiam et neurologiam; Cel. Koechlin
 pathologiam et therapiam generalem; Cel. Locher-
 Balber semioticen et artem aegrotorum rite exa-
 minandorum; Cel. Zundel diaeteticam; Cel. Meyer
 chirurgiam, acologiam et akiurgiam; Cel. Schinz
 sen. materiam medicam; Cel. Zundel pathologiam
 et therapiam morborum febrilium; Cel. Koechlin
 pathologiam et therapiam morborum chronicorum;
 Cel. Lavater pathologiam et therapiam morborum
 infantum; Cel. Spoendlj artem obstetriciam; Cel.
 Abegg morbos syphiliticos et exanthemata chronica.

Artem musculorum rite praeparandorum Cel.
 Friess; illam, vasa et nervos demonstrandi Cel.
 Hirzel me docuerunt.

Praeterea clinicas exercitationes ad lectos aegro-
 torum haud neglexi, et quidem: Cel. Archiater
 Rahn in clinico medico; Cel. Meyer in clinico
 chirurgico; Cel. Spoendlj in obstetricio; Cel.
 Abegg in clinico, syphiliticis et exanthematicis
 morbis dedito, mihi Praeceptores fuerunt.

Mense Aprili MDCCCXXIX Berolinum adii et
 in numerum studiosorum Universitatis Litterariae
 Fridericae Guilelmae a Celeberrimo Klenze t. t.
 fasces academicas tenente die XXVIII ejusd. mensis
 receptus et a Viro Illustrissimo Bartels t. t. medi-
 cae facultatis Decano huic facultati adscriptus sum.

In hac musarum alma sede Viri sequentes Illustrissimi mihiq[ue] summopere venerandi Praeceptores mihi fuerunt:

Ill. Rudolphi in physiologia; Ill. Horn in pathologia et therapia morborum acutorum, chronicorum et mentis; Ill. de Graefe in clinico chirurgico et ophthalmiatrico; Ill. Rust in clinico chirurgico; Ill. Kluge in clinico morborum syphiliticorum; Ill. Ed. de Siebold in exercitationibus obstetriciis.

Tentaminibus absolutis examineq[ue] rigoro superato, spero, fore ut, dissertatione thesibusq[ue] palam defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Trepanatio per se non periculosa.

II.

Therapia generalis magis scientiae, therapia specialis magis artis characterem prae se fert.

III.

In porrigendis medicamentis chemica ratio haud quidem negligenda, sed etiam non pluris aestimanda est.

V.

Vita et organisatio nullo modo separari possunt.

